rium pro arbitrio uſus eſt. At dixerit aliquis: Sed ſi quid in illam, dum poſſedit, impenderit, oportet & ipſum ex pretio lucrari: ideoque alienum non eſt partum apud ipſum permanere. Atqui ſi quiſquam ad detinendum fœtum hoc rationem præbere putat, quomodo ut ille *matrem* ſequi debeat, a domino perſolutum pretium non majorem præbebit? Quin quomodo convenientius non eſt, ſi qui perdidit, indeque dolores in corde pertulit, ex acceſſione delinimentum ſentiat: quam ſi ille eam habeat, qui præterquam quod nihil amiſit (ab illo enim qui furto ſubductam ancillam ipſi vendidit, pretium recuperare licet) ancillæ etiam miniſterium lucratus eſt? *Neutiquam ergo* (quomodo diximus) *detineatur partus*, ſed quemadmodum matrem ſic etiam filium prior dominus habeat. Sive enim qui furtum commiſit, dives ſit, tumque ipſi quod male accepit, ejus pretium reddat, nihil amplius negotii reſtet: ſive mortuus aut vivus adhuc inopia laboret, ut quæ lex a furibus exigit, exolvere nequeat, tum vero quoque qui ancillam amiſit, ejus calamitatem filii cum matre receptione deliniri æquius ſit.

CONSTIT. XXX.

DE MULIERE QUÆ VIVO MARITO ALIOS DE MATRIMONIO COMPELLAT [1].

Idem Imperator eidem Styliano.

UT quum leges reipublicæ inutiles deprehenduntur, neceſſario illas juſta reipublicæ providentia in melius transformat: ita quoque ejuſdem providentiæ munus ſit, ut leges recte conſtitutas, nihilque ſubditos contriſtantes a male conſtitutis ſubditosque contriſtantibus ſeligat, hisque illas anteponat: præſertim vero quando eadem de re duæ inter [2] ſe pugnantes leges ſtatuunt. Quomodo enim ratione fultum ſit, ſi quum duces atque præfecti ex pejoribus præſtantiores eligantur, & qui in gubernatione ad ſubditorum utilitatem omnia facturi putantur, præponantur: non item ex legibus, quibus donec respublica conſiſtet, præeſſe datur, quum contra temporanea ducum præfectura ſit, non præſtantiſſimæ, ſed pejoris notæ, quasque neque a principio innotuiſſe decuiſſet, ad gubernacula deducantur? At quorſum hæc a nobis dicta ſunt? Juſtinianus ille, cujus diadema præter religionem ſubditorum, cura etiam decoravit, quum prius [3] de ſolutione matrimoniorum ſanctionem edidiſſet: ut ſi mulier marito etiamnum ſuperſtite de matrimonio cum altero agat, non amplius illam, ut ipſius membrum ipſi jungi liceat, ſed ceu inſidiatrix ab ipſo avellatur: poſtmodum [4] ſibi ipſe contradicens, ob hanc cauſam dirimi non permittit [5] matrimonium. Nos itaque priorem hominis voluntatem, ut quæ his ipſis quæ ſtatuit roboretur, & adverſus matrimonia inſidias præcidat humanæ vitæ conducibiliorem eſſe intelligentes: eam lege lata in republica obſervari jubemus: quam vero cantata palinodia evulgavit, eam in reipublicæ noſtræ theatro locum invenire non permittimus. *Si qua* igitur marito adhuc vivo, de contrahendo matrimonio cum altero ſermonem habuiſſe deprehendatur, ut quæ ſeipſa nefario propoſito abruperit, & matrimonii ſolutione ab illo abſtrahetur, & profecto etiam pecuniariis pœnis, quibus quæ aliis modis a maritis avelluntur, obnoxiæ ſunt, ſubjicietur. Quæ enim matrimonii compage in unam [6] carnem cum marito coiit, non acquieſcit autem, ſed ſimul ad alium reſpiciendo, creatorem qui illam conjunxit, contumelia afficit, ſimul in maritum hoſtili animo eſt: quomodo non juſte hæc quum prius ſe ipſa a conjunctione prorſus abruperit, abſcindetur? Et ſane quando [7] mulier protervo propoſito oculum [8] a membro ſuo avertens, in alienum reſpicere geſtit: quæ alia ſigna & teſtimonia ipſam in maritum hoſtilia cogitare deſideres?

CONSTIT. XXXI.

UT [9] QUÆ MULIER MARITI ODIO ABORTAT, REPUDIARI AB ILLO POSSIT [10].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUi hominem e [11] terra creavit, coſta ipſius in mulierem transformata, adjutricem [12] illi ex ipſius membris conjunxit, quo videlicet ſuæ creationis cauſam illa cognoſcens, vel hinc diſcat, qua lege erga conjugem, benevolentiam atque amorem incontaminatum conſervet. Quæ igitur ita animata eſt, benevolentiamque ſuam marito cuſtodit, revera illa auxiliatrix eſt, neque conditoris promiſſum fallit: quæ vero diverſo animo eſt, non amplius neque hoc eſſe cognoſcitur: neque quanquam conjugium in unum illam cum marito cogere anniſum fuerit, caro ex carne, membrumve ipſius eſt. Idcirco quum de muliere, quæ propter inimicitias quas cum marito habet, de induſtria abortando [13], neque in vitæ lucem fœtum producendo, feminis ipſius fructum opprimit, duæ leges latæ ſint, quarum una [14] repudiare injuria affectum maritum jubeat, altera [15] vero non permittat: *nos*, legi divortium ſuadenti aſſentientes, illi ut multo utiliori autoritatem attribuimus. Alienum enim mihi a ratione, prorſusque iniquum videtur, ut quæ tam apertum in maritum odium ſuſcepit, ut ipſius ſemen diſperdat (ut interim omittam, quod communi naturæ inſidiata ſit) ipſi cohabitet. Nam ſi [16] qui alicui alii operi damnum inferunt, eos tanquam inimicos averſamur: quomodo eam quæ procreandorum liberorum operi, tum maxime neceſſario, tum præſtantiſſime noxam fecit, ipſe qui damno affectus eſt, ut ſuam apud ſe habere poterit, nec ut inſidiatricem & hoſtem dimittet? Quod inſuper evidentius ſignum requiras ut mulierem marito inimicam eſſe cognoſcas? quomodo & inde manifeſtum non eſt, quod dum adverſus illum hoſtilia cogitat, in vitam progreſſu fœtum privat? Quomodo igitur dictum eſt: lex quæ ipſos ſeparat, obtineto, maritusque ſecedendi a muliere in hoc facinore deprehenſa, facultatem habeto. Nam ſi quæ ſolum extra [17] ædes manſit, aut cum hominibus cum quibus non deceret convivata [18] eſt, hanc lex a nexu matrimoniali ſeparat (quum tamen hic in maritum odii nullum tam evidens teſtimonium ſit, & accidiſſe id illi citra matrimonii injuriam videri etiam poſſit) cujus rationis erit, eam quæ tantum, tamque in maritum & naturam injurium odium conceperit, non disjungere, ſi ita marito videatur, & jubere ipſum uxorem habere, quæ ipſius vitæ inſidietur?

CONSTIT. XXXII [19].

DE ADULTERIS MANIFESTO [20] DEPREHENSIS [21].

Idem Imperator eidem Styliano.

ADulterii ſcelus, ſi quod aliud, gravem horrendamque pœnam exigit, & (ut puto) homicidii pœna non [22] minorem. Homicida enim perſæpe unius tantum ſanguinaria manu vitam evertit: ſceleſtus vero adulterii perpetrator quam plurimos [23] fere de medio tollit, maritum, liberos, cognatos, aliosque, dum uno vulnere dilacerato matrimonio omnes proſternit. Veruntamen quia, cum olim id facinus morte [24] puniretur, viſum eſt poſterioribus mitiorem proferre ſententiam: ac vero nos fere ad benigniora trahimur: quam illi conſtituerunt, pœnam ut nempe naſus [25] deteſtandis illis ambobus abſcindatur, hanc & nos ſtatuimus. atque hæc quidem nefarii iſtius ſceleris eſto pœna. Ac quoniam maritum pro tanta injuria citra conſolationem relinqui non oportet, in matrimonii jus injuriæ mulieris [26] dotem percipiendo ſe conſolator. Inſuper mulieri ad alteras nuptias proſultare, neque, quaſi in naſi abſciſſione præmium acceperit, libere in poſterum ſe cum libidinoſis commiſcere, nequaquam permittitor: ſed ob ſcelus commiſſum, in monaſterium (ubi in contritione animæ leviorem ſibi pœnam faciat) velut in exilium detruditor. Et, ſi monaſticæ vitæ deſiderio correpta, illam ſuſceperit, quæcunque ipſius bona a dote ſeparata ſunt, ea liberi & monaſterium inter ſe diſtribuunto: ſi liberi nulli ſuperſint, pro illis parentes, & ſi neque hi ſint, alii cognati ad diviſionem inducuntor. Quod ſi in prophano habitu e vita excedat, cum teſtamenti factionem omnino habeat, prout illa conſtituerit, quæ bona extra dotem habuit, diſpenſabuntur.

CONSTIT. XXXIII.

NE [27] CAPTIVORUM UXORIBUS ALIIS NUBERE LICEAT [28].

Idem Imperator eidem Styliano.

SI qui olim leges tractarunt, eo fuiſſe animo, ut prorſus ſua quanquam in illis correctione nonnulla indigerent, corrigi tamen nollent, ſuſpicatus eſſem: fortaſſe nunquam hoc conſilium ſuſcepiſſem, uti leges, quæ ſeſe recte non haberent, corrigere tentarem, & tametſi arcta reipublicæ cura, quo videlicet recte illa adminiſtraretur, neceſſario correctionem injunxiſſet: ut ne tamen primos legislatores contriſtare videremur, qui nos in hoc impetus ferret, inhibuiſſemus. At quoniam illis quoque ipſis, ſi etiamnum in vivis eſſent, non modo illorum inſtitutum, qui corrigere conantur, non displiciturum, ſed eosdem etiam qui ita faciendum cenſerent, his gratias acturos arbitror, (non enim gloriæ cauſa, ſed quod reipublicæ commoda curæ haberent, leges edidere) age quæ reipublicæ conducant, neque illis ipſis veteribus legislatoribus diſpliceant, facientes, exactiore conſideratione, ſeu medicamento quodam Pæonio [29], legum morbos propitio Deo curemus. Supra cætera etiam ubi de captivis ſanxerunt, hoc caput, in quo de matrimonii diſſolutione ſtatuerunt, valde rationi eſſe diſſentaneum videtur. Sic autem & in hæc verba ajunt [30], *ſive* marito captivitatis infortunium accidat, manente uxore in civitate: ſive quum uxor in jus captivitatis pervenit, maritus in civitate permaneat: exquiſita quidem & ſubtilis ratio diſtrahit matrimonium. Semel enim ſervitute alteri ſupervenientе, conditionis inæqualitas æqualitatem, quæ in nuptiis ſpectatur, permanere non patitur. Nos tamen humanius talia contemplantes, *donec certum* eſt ſupereſſe maritum vel uxorem, pro non ſolutis matrimonia haberi ſinimus: neque ad alias migrabunt nuptias vel mariti vel uxores, niſi petulanter id egiſſe videri velint, & in pœnas incidere, ille quidem exactionis donationis ante nuptias, hæc vero dotis. Hi ergo iſtiusmodi de captivorum matrimonio pronunciarunt ſententiam. Nobis autem neque cauſa, quam exquiſita (ut ipſi loquuntur) ſubtilisque ratio ſuppeditat, rationi eſſe conſentanea: neque humanitas, quæ dirimendi matrimonii facultatem præbet, dum ipſos damno ſubjicit, ſincera videtur. Si enim (quemadmodum inquiunt) durare matrimonium fortunæ non [31] permittit inæqualitas, quomodo ſi ad libertatem revocetur

1 Dimittenda, ex *Nov.* 22. *c.* 16. §. 1. neglecta *Nov.* 117. *c.* 8. & ita reducitur ad *Nov.* 22. 2 Ἀντινομίαι interdum in jure occurrunt. 3 *Nov.* 22. *c.* 16. §. 1. 4 *Nov.* 117. *c.* 8. *in fin.* 5 Saltem non numeratur inter cauſas repudiorum. 6 *Gen.* 2. *verſ.* 24. *Matth.* 19. *verſ.* 5. *Luc.* 16. 7 Hoſtis eſt mariti conjux, quæ proterve oculos a marito in alium conjicit. 8 Tertull. *lib. de velandis virginibus* ait, Nuptias de animo & affectu fieri, quemadmodum & ſtuprum. adde *Matth.* 5. *verſ.* 28.

9 Extat apud 4. Harm. 12. §. 6. 10 Ut *Nov. Juſtin.* 22. *c.* 16. §. 1. fuerat conſtitutum: omiſſum vero in *Nov.* 117. *c.* 8. *in fin.* 11 *Geneſ.* 2. 12 Mulier ex viro & propter virum. Tertull. 5. *adverſ. Marcionem. & lib. de veland. virginib.* 13 De arbortu vide *l.* 8. *ff. ad l. Corn. de ſicar. l.* 39. *ff. de pœnis.* 14 *Nov.* 22. *c.* 16. §. 1. 15 *Novell.* 117. *c.* 8. *in fin.* 16 Exaggeratio criminis abortionis. 17 *d. Nov.* 117. *c.* 8. §. 5. *ibi, ſi nolente viro foris domum manſerit.* 18 *Nov.* 22. *c.* 15. §. 2. *Nov.* 117. *c.* 8. §. 4. *ibi, ſi cum viris extraneis nolente marito convivatur.*

19 Decimanona dicitur ab *Harm.* 6. *tit.* 2. 20 Ἐπαυτοφώρῳ. dixi ad *l.* 23. *ff. ad l. Jul. de adult.* Gal. *trouvez ſur le fait.* 21 Et eorum nova pœna. quippe naſus præcidi adulteris jubetur hac conſtitutione, quod veteribus legibus non erat. 22 Adulterium pœnam homicidio non minorem meretur. 23 Exaggeratio criminis adulterii. 24 Adulterium olim morte puniebatur, vid. *l.* 30. *in fin. C. ad l. Jul. de adult.* 25 Harm. *d. loco.* Sic manus furibus præciduntur in Longobard. *l. de latronib. l. ſi quis latr. de furtis in Longobard.* & in patriam conſpirantibus. *l. de conſpirantibus, de aggreſſorib. in via factis, in leg. Longob.* adde quæ dixi ad *Nov.* 134. *cap.* 13. *verſ. ſi vero criminis qualitas, ubi de pedis, manus, aurium & narium amputatione dixi, & excæcatione.* 26 Vid. quæ dixi ad *Nov.* 134. *c.* 10. & *Nov.* 117. *c.* 8.

27 Extat 4. *Harmenop.* 12. §. 4. 28 Etiam poſt quinquennium, & ita abrogatur *Novell.* 22. *c.* 7. *verſ. ſi vero incertum. Nov.* 117. *c.* 12. 29 Medicamentum Pæonium; fuit autem Pæon Medicus Deorum. Suidas in παιώνιος. 30 *Nov.* 22. *c.* 7. *in princ.* 31 *l.* 45. *in fin. ff. de ritu. l.* 1. *ff. de divort. l.* 10. *l.* 56. *ff. ſoluto. l.* 12. §. 4. *ff. de captivis.*

captivus,

captivus, quum poſt matrimonii diſſolutionem ad æquabilitatem fortuna redeat, amboque in libertate vivant, ad æqualitatem matrimonium non redibit? Quæ vero illa ſincera humanitas, quæ amiciſſimorum membrorum ſubtractione damnum inferre, aliorumque ſubſtitutione id quaſi ſarcire conatur? Quomodo item, etſi usque ad viliſſima quæque captivorum ſubſtantia jure ſtatuque ipſorum integro taxetur, illos non ita præſtantiore parte (ſui nempe membri conſervatione) atque rerum ſuarum jure periclitari velle, immenſumque damnum fore, ſi altera pars membrum ſuum negligere in animum inducat, non perquam eſt manifeſtum? Quid igitur ego? *Si quum altera pars* in captivitate ſit, altera quæ a captivitate libera manſit, ad alterius conjugium reſpexerit: poſtliminio vero revertatur quæ in captivitate detenta fuit: ut illi [1] ſi velit ſuum membrum recipiendi facultas ſit, ac nequaquam quod alteri conjunctum fuerit, prius matrimonium innovetur. Si enim conjugium cum altero poſtmodum initum videbitur aliquibus diſſolvi non oportere, quomodo non æquius fuerit, ſi primus matrimonii nexus in ſuum ſtatum revertatur? Et ſi eo quod alienæ parti conjunctum ſit, id quiſpiam avelli non permittat: quomodo quod a ſua parte abruptum ſit, id in ſuum locum reſtitui, rationi non fuerit conſentaneum? At dixerit aliquis: Sed in lucrum captivis cedit quod propter alterum temeritate contractum matrimonium, per compenſationem pœnæ nomine introductum eſt. Verum hunc ſermonem non dico non labris exprimi, ſed ne in mentem quidem autoribus ejus venire melius fuerit. Nam quomodo ille, qui membrum ſuum pecuniis commutat, non extrema mentis infelicitate & penuria laborat? Sancimus itaque, *ut nequaquam* amplius quæ pars a ſervitute intacta manſit, ad alterius conjugium procedat: ſed quotcunque annis altera in ſervitutis miſeria detinebitur, tametſi [2] inde nullam neque de ſcripto, neque citra ſcriptum ſignificationem accipiat, illam expectet. Et quod ſi præter hanc legem alterius matrimonii commercio a priore abrumpi aliqui velint, idque non ſecundum obſervationem in Novella centeſima decimaſeptima de uxoribus eorum, qui in expeditione ſunt, relatam, fiat: ſciunto illi, quod poſitis in dicta conſtitutione pœnis ſubjacebunt. Inſuper etiam (quemadmodum diximus) ut ſi qui ſervitutis ærumnas ſuſtinet, liberetur, ſuum ſi velit membrum recipiat, licebit.

CONSTIT. XXXIV.

DE TUTORE QUI PUPILLAM SUAM [3] VITIAT [4].

Idem Imperator eidem Styliano.

NEfaria res eſt, ſi illi, de quibus ea expectatio fuerat, quaſi probi futuri eſſent, quum ab illis qui talem de ipſis opinionem conceperant, jam aliqua fide digni habiti ſint, pro bonis atque fidis inimicos & infidos ſe exhibeant. In illis autem quibus pupillorum obvenit cura, ſi cum pupillis ſalutariter proſpicere debeant, ipſorum everſores exiſtant, tanto id ſcelus gravius [5] eſt, quanto illorum fides ab iis, qui id ipſis injunxerunt, major judicata eſt. Conſtat enim, quod parens perſuaſum habens, quos pupillaris ætatis relinquit liberos, ab eo cui cura committenda eſt, paternum patrocinium ſenſuros, eam cui ita fidit, demandat. Recte igitur ſuperiores fecere, qui pro patre conſervatoreque pupillæ deprehenſum vitiatorem punierunt. Deportationi [6] enim hunc ſubjiciunt, ac bonorum privatione multant. Verum in decora ſpecie decorum non ſervarunt, neque ullam injuria affectæ graviaque paſſæ puellæ, ut illius infortunio ſuccurrerent, ſuſcepiſſe curam videntur, dum vitiatoris bona in fiſcum ſtatuunt eſſe inferenda: non animadvertentes hinc fieri, ut ulciſci quidem injuriam velle, ſed in propoſito non perſiſtere exiſtimentur. Ubi enim injuriæ ultio quando injuria affecto damnum injuria datum non reſarcitur, neque qua tenetur calamitatem legis auxilio effugit? Quale autem calamitatis puellæ eſt effugium, quando non modo infortunii compenſationem non invenit, ſed lucrum [7] etiam progreſſu ætatis ex ſuo dedecore atque infamia paratum eſſe videt? Ut igitur hoc lege, tanquam [8] probrum aliquod reprehenſione affricatum purgemus, *ut vitiatoris* bona in fiſcum deferantur abrogamus: jubemus autem, ut eo concedant, quo ipſorum dominus injuriam & infortunium projecerit.

CONSTIT. XXXV.

DE RAPTORIS VIRGINIS, EORUMQUE QUI IN RAPTU ADFUERUNT, POENA [9].

Idem Imperator eidem Styliano.

NEque quod eccleſiaſticæ legi rebellemus, neque quod civilem ſimpliciter collidamus, hanc adverſus virginis raptorem ſententiam proferimus: ſed poſteaquam velut via quadam rebus humanis conducibili inveſtigata, commiſeratione ſacræ legis id malum quaſi inſoleſcere, civilis vero legis auſteritate ſupprimi, cognovimus: in eam ſententiam, unde rerum ſtatui plus ſubſidii eſſet, inclinavimus. Vult autem civilis lex [10], ut non ſolum qui per raptum & vim virginem ingenuam ſtupravit, morti addicatur, inſuperque ſupra mortis adjudicationem bonis privetur, verum etiam qui in ſcelere adjumento fuerunt, eandem & pœnam & multam ſuſtineant: idque tum etiam, quum voluntarie ſe mulier raptori dedidit. Quin & ejus patrem, ſi facti conſcius fuerit, deportatione punit. Neque vero tunc ſolum, ſed etiam, ſi quum quo tempore raptus committeretur, ejus rei ignarus fuerit, filiolæ vitiationem poſtmodum parvi pendat, reoque judicium remittat, aut iſtiusmodi matrimonium approbet, in incuriæ pœnam deportationem ſuſtinet. Atque hæc quidem veteribus placuere. Verum ſempiternæ memoriæ pater noſter non tantum in mulieris raptum, verum etiam in circumſtantias oculos dirigens, ad illas ſententiam accommodat ac ſancit, *ut ſi cum armis* [11], ſive gladiis, aliisve nonnullis præter gladium lethalibus raptus commiſſus ſit; qui raptum fecit, gladio puniatur: utpote qui eo quod cum armis ad id factum proceſſerit, neque ab homicidio immunis ſit: qui vero ſuppetias [12] tulerint, factive perpetratores ſuſceperint, naſo mutilentur, verberentur, & cute tenus tondeantur. Quando autem arma violentiæ adhibita non [13] eſſent: ut mortem ſententia non ſpectet, quod nempe tunc homicidium locum non habuerit: ſed raptus auctor manus [14] mutilatione periclitetur. qui vero miniſterium [15] præbuerint; alioquive ſe iſti rei immiſcuerint, verberibus, tonſura & deportatione pœnas pendant. Ac ſane corporalis pœnæ hæc eſt deſcriptio: Quod vero ad pecuniariam attinet, ne a primitiva legislatione mutetur, ejusque effectum retineat, permittitur [16]. Atque hæc quidem pater noſter ſancit, quorum & nos approbatricem ſententiam ſuſcipientes, legislationem illam & in præſens & in futurum auctoritate & effectu obſignavimus.

CONSTIT. XXXVI.

UT CAPTIVI FILIUS [17] HERES SIT [18].

Idem Imperator eidem Styliano.

SI reipubl. ſuſtentaculum [19] atque fundamentum ſunt leges, certe ut illa in tuto ſit, ſanitatem leges conſervent oportet. Legis autem ſanitatem quid aliud quam æquitatem quis dicat? Circa hanc itaque, quo leges, quæ rempublicam noſtram gubernant, æquabiliter ſeſe habeant, cogitationes noſtras obvertentes legem [20] illam, quæ eum qui ex duobus *captivis natus eſt* heredem bonorum ejus parentis qui apud hoſtes manſit, fieri non vult: hanc (inquam) legem, ne legum ſanitate (quæ æquitas eſt) privetur, periclitari animadvertentes, illam ad ſanitatem transformare voluimus. Nam quod injuſte iſtud ſtatuat, non difficile cognitu eſt. Quam enim vim locorum natura ad adſcribendam filio hereditatem habet? Neque vero hoc quiſquam objiciat, quod quum parens ſervus ſit, propter ſervilem conditionem filius exheres erit. Quomodo enim civilis lex, quæ, ſi captivum liberari contigiſſet, illum liberum agnoſceret, ex eo natum liberum heredem eſſe non permittet: ſed qui apud hoſtes eſt, ſervo bonorum adminiſtrationem dabit, tum etiam ad quem captivi bona aliquis pertinere putabit? Ad cognatosne? At quomodo ſervitus obſiſtens his ad hereditatem introitum non præcludit? Aut quomodo, quibus permiſſum eſt, non longe prius heredes eſſe licebit? An vero fiſco danda erunt? Verum quomodo manifeſta illa injuria non eſt? Si etenim rationi conſonum eſt, ut [21] captivorum liberi e publico ſubſidium ſentiant: quomodo captivi filium bonis privari, illaque fiſco attribui, non perquam evidens injuria eſt? Quod ſi ſæpenumero, quum nonnulli parentes graviter conſcientia abuſi, atque ideo pœnis ſubjecti, acerbeque e vivis ſublati ſunt, liberi eorum ſubſtantiæ domini eſſe lege non [22] prohibentur: quæ ratio eſt, quamobrem quando pium propoſitum parentes decorat (& quidem in fidei teſtimonium effuſus ſanguis ut eximius ipſorum animus magnusque ſpiritus ipſis etiam impiis miraculo eſſet, perſæpe effecit) liberi facultatum ipſorum domini eſſe non permittantur? Nequaquam itaque conſtitutio [23] illa ſana eſſe noſtræ Majeſtati videtur: eaque propter ſancimus, uti deinceps, ſive quum captivitatis caligine circumfuſi parentes eſſent, in lucem prodiit filius, ſive etiam in libertatis ſplendore ipſum mater peperit, parentum ſubſtantiæ heres ſit: idque ſive ambobus parentibus e captivitatis vinculis liberari continget, aut non: ſive [24] quum unus eorum libertatem nactus ſit, alter in calamitatis vinculis vitam finiet: ſive denique uterque parens in captivitate morietur, extra quam ſi mortem teſtamento condendo præveniant. Tunc enim illi quos teſtator voluerit, heredes erunt: tamen ut trientis legitimum ſubſidium filio ſervetur.

CONSTIT. XXXVII.

* UT DOMINI TESTAMENTO MANUMISSUS, SI ILLUM DECESSISSE ADITAMQUE EJUS HEREDITATEM ESSE IGNORET, TESTARI POSSIT [25].

Idem Imperator eidem Styliano.

PRæſenti etiam legi plena abſolutione deficienti, ejus quod deeſt additione decoram formam imponimus. Ait autem [26], ſervum qui quum domini ſui teſtamento liber eſſe juſſus ſit, id ignorat, ideoque incertis rationibus libertatem obtinet, interea nequaquam propter ignorantiam libertate privari, ſed in libertate vivere: ut autem tanquam liber teſtetur, ipſum poteſtatem non habere: quaſi videlicet illam pœniteat, quam libertatem dedit, hanc ipſi perpetuo competere. Quum enim illi ut libero de rebus ſuis teſtandi facultas non ſit, quomodo non ad priſtinam ſervitutem redit? Nos itaque dicimus, poſteaquam gradum ſtatumque vitæ liberum præbuit lex, illam etiam [27] alia quæ libertatem comitantur, præbituram. Nam ſi ipſum facere quæ hominibus liberis duntaxat licent, prohibere oportebat, ipſa vero id non prohibuit, ſed dignum illum qui iſtæc faciat judicavit: quare item iſtis actionibus quæ proprie libertatis dignitati competunt, illum non dignabitur? *Eſto igitur* libertate donatus, revera liber, ſtatuitoque de rebus quas illi dominus eximias dedit, quomodocunque viſum ſit. Non decet enim, ut qui libertatis dignitatem manifeſte accepit, ob [28] incertam ſuſpicionem ignominia afficiatur, atque a teſtando arceatur.

CONSTIT. XXXVIII.

* UT IMPERATORIS [29] SERVI DE REBUS SUIS QUOMODO VELINT, STATUERE POSSINT.

1 Dixi ad *Novell.* 117. *cap.* 11. 2 Quid exigebatur *d. c.* 11.

3 Id eſt, cujus tutelam vel curam gerit, vel geſſit. & ita communiter intelligi tradit Clarus 5. *ſent.* §. *fornicatio. verſ. cum pupillus.* 4 Ejusque bonis pupillæ vim paſſæ addicendis, non fiſco ut olim *leg. un. C. ſi quis eam cujus tutor fuerit, corruperit.* 5 Duci proditori comparatur violator pupillæ tutor. Quintilianus *declamat.* 284. 6 *d. l. un.* 7 Περιζόμενον ἕτερον ἔτεσιν κέρδος ὁρᾷ. *Scrimg.* περιζόμενον ἕτερον κέρδος. Cujac. 17. *obſerv.* 32. 8 Ὥσπερ κηλῖδα μῶμον. Scrimger. ὥσπερ κηλῖδα μῶμον. Cujac. *d. l.*

9 Mutatur lex unica *C. de raptu virgin.* adde *Novell.* 143. & 150. *de ea, quæ raptori ſuo nubit.* 6. Harm. 7. Clar. 5. *ſent.* §. *raptus.* 10 *d. l. un.* 11 De eo qui cum armis virginem rapuit. 12 De eo qui ſuppetias raptori cum armis tulit. 13 De eo qui ſine armis virginem rapuit. 14 De manus mutilatione dixi ad *Nov.* 134. *c.* 13. 15 De eo qui opem tulit raptori ſine armis. 16 Eaque in re nihil mutatur *d. l. unica.*

17 Id eſt, captivo natus. 18 Olim heres non erat niſi ambo parentes poſtliminio rediiſſent, & ita abrogatur *l.* 1. *C. de poſtl. rever.* 19 Legum commendatio. adde *l.* 2. *ff. de legib. Novell. Juſt.* 163. 20 *d. l.* 1. 21 Captivorum liberi e publico alendi. 22 Vid. *l.* 7. *ff. de bon. damnat.* 23 *d. l.* 1. 24 Et hoc adjicitur *d. l.* 1. *Cod. de poſtlim. rever.*

25 Et ita abrogatur *l.* 14. *ff. qui teſt.* 26 *d. l.* 14. 27 Data libertate, quæ neceſſario conſequuntur libertatem, data etiam videntur. *arg. l.* 2. *ff. de juriſdict.* 28 Ea fuit ratio decidendi veteribus, de qua vid. *l.* 14. *in fin. l.* 15. *ff. qui teſtamenta: l.* 1. *ff. de legat.* 3. Ulpian. 20. §. 11.

29 Ad eundem modum olim ſervis populi Romani teſtari licuit. *Ulp.* 20. *in fin.* ſervis privatorum aut civitatis non licuit *l.* 16. *l.* 19. *ff. qui teſtamenta.*

Idem

Idem Imperator eidem Styliano.

HOc quoque, quanquam plauſibilem præ ſe ſpeciem (legalem nempe ordinationem) ferat: æquitatem mihi tamen excedere videtur. Dico autem quod ſervis de rebus ſuis ſtatuere non permittitur: ſed quæ laboribus ſuis arduiſque (ut conjicere licet) moleſtiis quæſierint, ea cujusque domini manus colligunt. Ac ſane mirari ſubit, quomodo ab initio lata lex nihil moderationis neque æquitatis huic rei attribuerit. Verumtamen ii e quibus nata iſta lex eſt, atque adeo lex ipſa ab aliis, ut cujusque voluntas feret, adprobantor. *Ego autem* nequaquam illos probo, neque illud placitum in ſervis [1] meis obtinere ſinam: ſed contra, plenam ipſis adminiſtrandarum rerum ſuarum poteſtatem facio. Ex hoc itaque tempore in omnem poſteritatem Imperatoris ſervi rerum ſuarum revera domini ſunto: ita ſane, ut ſive ſani ſint, ſive ægroti mortem imminere putent, de rebus ſuis pro arbitrio ſtatuendi poteſtate non priventur: neque ſervitutis nomine ex rerum quas poſſederint dominio expellantur. De Imperatoris igitur ſervis hæc noviter lata lex eſto, vigoremque habeto. Magiſtratibus autem reliquæque promiſcuæ plebi, ſi huic noſtro placito acquieſcere nolint, ad veterem de ſervilibus bonis legem reſpicere fas eſto.

CONSTIT. XXXIX.

UT PRODIGUS QUÆ EX RE IPSIUS SINT[2], FACERE[3] POSSIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

MOrtalium nemo ad eam abſolutionem pervenit, ut non obnoxie aliquando res ſuas gerat: neque quisquam (ni fallor) ita deſipit, quin crebro ſibi utilis eſſe poſſit. Neque enim qui in omnibus prudentiæ ſuæ fidit, hunc omnia irreprehenſibiliter facere ſinit Deus: neque idem cum creator creaturæque ſuæ curator ſit, mentis inopem per omnia ex imprudentia fruſtrari permittit. Præfatus hoc ſum propter illam legem [4], quæ prodigum de rebus ſuis quicquam aut velle aut ſtatuere omnibus modis prohibet. Quam quidem legem, conjectis in res geſtas oculis, pro illarum ratione, non autem ita ſimpliciter ſancire: & ſi quid inutiliter geſtum eſſet, non admittere: in quo vero aliqua utilitas verteretur, id ſuſcipere oportebat. Nunc vero nihil iſtiusmodi præſcribit, ſed in univerſum prodigo de rebus ſuis conſultandi poteſtatem adimit. Id nos recto judicio non convenire ſuſpicati, legem illam relaxantes, ſtatuimus, *ut quæ judicium* erroneum quodque prodigum deſignet, dictet, neque approbatione, neque confirmatione digna habeantur: quæ vero ad utilitatem ſpectent, ſuſcipiantur, atque nequaquam reprobentur. Quid enim, ſi [5] prodigus aut hereditatem neceſſariis ſuis relinquere, aut pauperibus ſua diſtribuere, aut denique gravem ſervitutis torquem ſervorum cervicibus adimere velit? An ideo quod prodigus eſt, id illi non licere velle dicendum? Quid, ſi quum prædium damnoſum habeat, alter quiſpiam, qui vitio mederi poſſit, majori pretio quam quanti prædium ſit, id emere, ipſumque damno levare velit? An prodigalitas, quo minus ille ſibi conſulat, utiliterque negotietur, impediet? At rationem non video. Quod itaque dixi, rerum geſtarum conditio obſervator: & ſi in ea prodigi [6] mores non conſpiciantur, quod actum eſt ratum eſto: ſi vero a prudenti rerum geſtione aberratum eſſe appareat, id neque approbatione neque confirmatione dignum habetor.

CONSTIT. XL.

UT[7] CAPTIVI TESTAMENTI FACTIONEM HABEANT[8].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUi olim edendis legibus operam navavere, cum multa ad res humanas recte moderandas in medium protulerint, locupleſque benignitatis ſuæ teſtimonium (leges nempe, ſecundum quas respublica concinno in ſtatu conſervatur) reliquerint: tum haud ſcio, qua ratione fecerint, ut de captivis tractatus, quibus de rebus ſuis ſtatuendi poteſtatem non faciunt, reliquæ ipſorum benignitati non reſponderet. Quæ enim de teſtamentis ipſorum legislatio complectitur, valde comiter ac benigne conſtituta ſunt. Nam quod ſtatuerunt, *ut interdum quando* [9] *inopia teſtium laboraretur, a minore etiam teſtium numero teſtamentum obſignaretur: quin & nullis* [10] *adhibitis teſtibus, perſæpe tamen teſtamentum ratum haberetur, quemadmodum de* [11] *iis qui in acie occumbunt conſtitutum eſt:* permagnum ſane benignitatis eſt argumentum. At de captivis placitum jam dictorum non eſſe ſimile, neque ex eadem benignitate prognatum videtur. Quod namque de rebus ſuis conſtituere illis non permittunt: non ſolum non benignum aliquid de ipſis decreverunt, verumetiam [12] ipſam captivitatem alio modo intendunt. Quomodo enim rurſum illos in captivitatem non ducunt? aut quomodo malum irrecreabiliſque triſtitia non adaugetur, & morte acerbiorem in corde captivus non circumferens aculeum, rebus excedit humanis: quando non modo in captivitate vitam finit: verumetiam ſi qua apud contribules bona habet, de his illi conſtituendi poteſtas non eſt: ſed ſuis rebus tanquam alienis expellitur: & quæ ſuis laboribus quæſierit, prope quibus ſuſcepto periculo in captivorum infortunium incidit, ab horum diſpenſatione ejicitur? Quomodo item, ſi quos neceſſarios captivus habet, ut liberos, uxorem, fratres, aut alios, quos ad ipſius hereditatem lex vocat, ii non ſimiliter omnes obverſis in hereditatem ab inteſtato ad ſe devolvendam oculis, curam liberandi captivi, illius conſequendæ ſpe non omittent? Novimus ſiquidem res humanas, ut pauci admodum verum amorem conſervent, ejusque unius gratia ad opitulandum calamitate implicitis perpaucorum animus excitetur. At qui ſpe nanciſcendæ cujusdam remunerationis ad ferendum indigentibus auxilium procedant, horum ſane longe maximus eſt numerus. Qua re itaque moti cognatus aliusque quiſpiam captivorum ſuſcipiant curam? Si quidem ſtatuendi facultas de rebus ſuis ipſis eſſet, nonnulli laborem damnoſum ſibi non futurum reputantes, non ſegniter illum ſuſcepturi eſſent. Cogitarent etenim (ut veriſimile eſt) ſi aut conatus ipſorum ad finem deduceretur, captivique libertatem conſequerentur, ſe munus aliquod eſſe pro opera ſua & labore accepturos, aut etiam ſi conatus finem mors præveniens, captivum de medio tolleret, illum in teſtamento ſuo eum qui ipſius curam habuiſſet, majore portione quam illos qui ipſum neglexiſſent dignaturum. Non enim immemorem fore ipſum, neque labores nihili facturum arbitrarentur. Hac igitur ratione (quemadmodum dixi) futurum eſſet, uti aliqui non indiligenter ad liberandorum captivorum curam ſeſe erigerent. Nunc vero cum hi teſtari prohibeantur, illi autem ab inteſtato heredes in bona concedant: haud ſcio, ſi, qui pro liberatione labores ſuſcipiat, quisquam inveniri poſſit. Succeſſionis enim ab inteſtato ſpes metusque ne in vanum laboretur: ſi forte liberationem mors prævertat, captivumque rebus humanis eximat, *homines* tardiores (ut ne prorſus animo alienos dicam) ad id aggrediendum facit. Quod ſane non itidem contingeret, ſi lex illorum teſtamenta irrita non faceret. Jam vero ſi liberandæ animæ pretium propriæ cujusque facultates ſunt, quomodo non in hoc etiam captivi injuriam longe maximam ſuſtinent, quod dum non ſinuntur a lege de rebus ſuis ſtatuere, etiamſi velint, pro animabus ſuis nihil rerum ſuarum erogare poſſint? Ad hæc porro cum liberationis ratio hinc abſurditatem contrahat, tum vero multo abſurdiſſimum eſt, quod dum teſtandi facultas captivis non datur, frequenter illi qui inimiciſſimi [13] fuiſſent, quosque ipſi, ſi viverent, ne aſpicere quidem ſuſtinerent, illorum facultatum domini exiſtant. Qua quæſo re quid poſſit eſſe turpius? Hoc igitur quum hunc ad modum ſeſe habeat, non negligi debere Majeſtati noſtræ viſum eſt: ſed quemadmodum in aliis pro viribus divinitus nobis datis, ut recte reſpublica noſtra gubernetur ſolicite egimus: ſic & de captivis tractatum in melius corrigere decrevimus. Sancimus autem *ut dehinc captivi*, quæ ipſos a teſtando arcet, legi neutiquam obnoxii ſint: ſed ut ipſis (ſi poſſibile ſit) quinque, ſin minus tribus teſtibus præſentibus [14], extremam voluntatem, ſive litteris commendare, ſive [15] ſine ſcripto pronunciare liceat: tamen ut qui ad teſtimonium aſſumpti ſunt, revera illam defuncti voluntatem eſſe jurejurando affirment: idque ſive quum liberi ſubſint, illos bonorum ſuorum heredes relinquant, ſive [16] quum liberos non habeant, alios in hereditatem introducant. Æquum enim non putamus, ut qui communis reipublicæ nominis æqualiter participes ſunt, ejusdemque eſſe gentis cenſentur, non æquabili ex lege jure honorentur: ut videlicet qui liberi a ſervitute ſunt, ſtatuendi de rebus ſuis, uti viſum eſt, poteſtatem habeant: quibus vero illa manus intulit quaſi culpam commiſerint, quod pro tribulibus propugnando in captivitatis neceſſitatem devenerint, non item. Cæterum ſi captivorum quiſpiam aut ſua ſponte aut eorum quorum in poteſtate eſt, vi adactus, hoc in animum inducat, uti res ſuas ad hoſtes concedere teſtamento jubeat: nequaquam tunc placitum ipſius ratum ſit: quaſique non pro [17] decoro reipublicæ Chriſtianæ teſtamentum factum ſit, in irritum concidat. Atque hæc quidem de iis qui vitæ finem teſtamento anteverterunt ſancita ſunto. *Si vero ultimus* vitæ dies ſubito illi ſupervenerit, atque inteſtatus [18] de medio ſublatus ſit: tum ſi qui, ad quos hereditas pertinet, ſive aſcendentes, ſive deſcendentes ſuperſint, ad hos illa ſe conferet. ſi vero nulli ſint ad quos bonorum defuncti captivi ſucceſſio ſpectet (dico quos neque aſcendentes neque deſcendentes defuncti familia agnoſcit) primum conſiderari an aliquibus debeat, deindeque deducto ære alieno reliqua bifariam in trientem & beſſem dividi, ac trientem demum in erogationem pro anima faciendam ſeparari, alteram autem partem in fiſcum recipi jubemus: tamen ut ſervi his non immiſceantur. Hos enim, niſi æs alienum exolvi non poſſit, omnes libertate honorari volumus. Quæ eadem rerum diſponendarum forma cuſtodienda erit, quando nihil æris alieni fuerit, ſervitutique obnoxius (quemadmodum dictum eſt) ſine heredibus deceſſerit. Quæ itaque nobis ejus legislationis, quæ captivos contriſtabat, in mentem correctio venit, per ſacram hanc expoſita eſt legem. Tua autem magnificentia ſanctionem ſubditis notam facito: quo cum innotuerit, omnes de rebus ſuis, etiam quos captivitas detinet, quocumque modo velint, ſtatuant.

CONSTIT. XLI.

UT IN CIVITATIBUS QUINQUE[19], IN ITINERIBUS VERO ET AGRIS TRES[20] TESTES AD TESTAMENTORUM FIDEM SUFFICIANT[21].

1 Lex eſt ſpecialis, quæ ad omnes ſervos non porrigitur, interdum tamen humaniores domini ſervis teſtari permittebant; ſed inter domeſticos tantum. vid. Plin. 8. c. 16. dixi ad *l.* 4. *ff. de manumiſſ. & ad* Ulp. 5. §. 5.
2 Τὰ συμφέροντα. & ita abrogatur §. 2. *Inſt. quib. non eſt permiſſ.* facit *l.* 1. *ff. de curatoribus.* vid. *l.* 18. *ff. qui teſtam.* 3 Tum inter vivos, tum mortis cauſa. J. *eod.* 4 *d.* §. 2. *d. l.* 1. *d. l.* 18. 5 Prodigus non cenſetur bonis male uti, quoties hereditatem neceſſariis perſonis relinquit, & pauperibus bona diſtribuit, aut ſervos libertate donat. Sic Tuditani notæ inſaniæ hominis, & populo nummos ſpargentis, & togam, velut tragicam veſtem, in foro trahentis teſtamentum (quo filiam inſtituit heredem), centumviri probarunt. Magis enim quid ſcriptum in tabulis eſſet, quam quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimaverunt. Tullius *Philippic.* 3. & *Academicar.* 7. Valer. 8. & 2. Lact. 23. 6 Prodigi mores in eo non ſunt, qui bonis ſuis recte utitur.
7 Extat epitome 5. *Harmen.* 1. §. 30. 8 Et ita abrogatur §. *ult. Inſt. quibus non eſt permiſſ. l.* 8. *ff. qui teſtam. l.* 10. *ff. de teſt. milit.* Paul. 3. *ſentent.* 4. §. 8. 9 *l. ult. verſ. in illis vero locis. C. de teſtam.* 10 Imo milites convocatis ad hoc hominibus teſtari debent §. 1. *verſ. ſi ergo miles. Inſt. de militari teſtamento. l.* 24. *ff. de teſtam. milit.* vid. *Nov.* 41. J. *eod. ubi plura dixi.* 11 Puto intelligi *l.* 15. *in fin. C. de teſtam. milit.* vult enim valere militis voluntatem, ſi quid in vagina aut clypeo literis ſanguine ſuo rutilantibus adnotaverit, aut in pulvere inſcripſerit gladio, ſub ipſo tempore quo in prælio vitæ ſortem derelinquit. 12 Afflicti ſublevandi ſunt, non onerandi. *Nov.* 16. ʒ. *eod.* 13 Durum videtur, captivis adimi teſtandi poteſtatem, ne alioquin ad eorum inimicos eorum bona deferantur. 14 Captivi teſtamentum facere debent teſtibus præſentibus. 15 Captivi teſtamentum facere poſſunt ſcripto vel verbis, coram quinque vel tribus teſtibus, niſi inviti ſua bona ad hoſtes ipſos transmitti voluerint, 5. Harmenop. 1. 16 Captivi teſtari poſſunt, ſive liberos habuerint, ſive non habuerint. 17 Κατὰ τὸν πρέποντα *Scrimger.* κατὰ τὸ πρέπον. Cujacius 7. *obſ.* 32. 18 Adquos hereditas inteſtati captivi pertineat. 19 Quinque in urbano: tres in ruſtico teſtamento teſtes ſufficiunt ex hac Novella. Quinarius numerus lege XII. tabularum videtur introductus §. 1. *Inſtit. de teſtam. ordinand.*
20. Ulp. 2. & reductus a Baſilio Macedone Leonis hujus parente *verſ. quum enim. infr. eod.* Septem poſtea adhibiti ex conſtitutionibus. §. 3. *Inſtit. de teſt. ordin.* Specialius dicendum eſt. In militari teſtamento expeditionis tempore, *l.* 17. *C. de teſtam. milit.*) miles enim citra tempus expeditionis domi teſtatus ſeptem teſtes adhibet *arg. d. l.* 17.) teſtes requiruntur ad minimum duo *l.* 24. *l.* 40. *ff. de teſtam. milit.* §. 1. *Inſt. de milit. teſt.* vel ut *ibid. in princ.* 1. *tit.* ſcribit Theophilus, unus ſufficit: & ſi Leoni credimus *Novella quadrageſima in princ.* ʒ. *eod.* nullis teſtibus adhibitis miles teſtari potuit, quamvis Plutarchus *in Coriolano* ſcribat, in teſtamento procincto tres aut quatuor adhibitos: & hæc de militari teſtamento. In pagani vero teſtamento variatur numerus. In teſtamento inter liberos duo vel tres *l.* 21. §. 1. *Cod. de teſtament.* cæci teſtamento vel octo requiruntur: vel ſeptem teſtes & unus tabularius *l.* 8. *Cod. qui teſtam.* In reliquis, ſeptem: ſi teſtamentum in ſcriptis fiat §. 3. *Inſt. de teſtament. ordinand.* Quid ſi nuncupativum fiat teſtamentum? ruri ſufficiunt quinque teſtes *l. ult. Cod. de teſtam.* ut & in codicillis *leg. ult. C. de codicillis. l.* 28. *in fin. C. de teſtam.* In urbe ſeptem requiruntur, ſi extranei inſtituantur heredes *l.* 21. §. 2. *C. de teſtam.* ſin filii, duo ſufficiunt *d. l.* 21. §. 1. ſi liberis mixti extranei, quod ad extraneos ſeptem requiruntur: quod ad liberos duo ſufficiunt *d.* §. 1. Hoc addendum eſt, unicum teſtem ſufficere, ſi teſtamentum fiat coram principe, hoc eſt, ipſum principem pro omni alio teſte ſufficere *l.* 19. *in fin. Cod. de teſtam.* quod tamen non admitto, & alia videtur ejus legis 19. ſententia, ut ibidem ſcripſi. Sed & illud tenendum, Jure Canonico valere teſtamentum factum coram presbytero & duobus teſtibus, *c. cum eſſes.* 10. *de teſtam.* Quin eodem jure ultimam voluntatem ad pias cauſas valere coram duobus teſtibus *c. relatum.* 11. *de teſtam.* ad hæc jure civili plures quam ſeptem adhibitos non nocere. Superflua namque proſunt, nunquam nocent. Paul. 3. *ſent.* 4. §. 10. Quin ſufficere ad bonorum poſſeſſiones omnibus locis petendas, ut ſolennis teſtium numerus adhibitus fuerit, quo loco teſtamentum factum eſſe dicetur *l. ult. Cod. de teſtam.* Idque communiter obſervari refert Ferrarienſis *in formula libelli quo petitur hereditas ex teſtamento* 48. *in verbo* Vallatum 6. *n.* 4. & 5. Harm. 1. §. 11. & 12. 20 *Nov.* 43. 21 Atque ita mutatur numerus teſtium Juſtinianeo jure requiſitus, *Inſtit. de teſt. ordinand. & C. de teſtam. ordin.*

Idem

Idem Imperator eidem Styliano.

CUm omnibus humanæ vitæ negotiis, quæ teſtium fidem requirunt, inde robur adeſſe oporteat: tunc vero maxime quæ ultimi vitæ noſtræ diei contemplatione diſpoſitiones fiunt, iſtiusmodi corroboratione indigent. Nullus enim reliquus modus eſt, qui recte ipſis jus dictet, niſi ipſis a teſtibus præſidium adſit. Oportebat itaque quo magis neceſſe eſt, ſtatuta hominum e vita decedentium firma eſſe, eo quoque magis eadem per teſtimonia ſtabiliri. Verum quoniam frequenter res propter eorum quæ ſtrictius requiruntur penuriam, ad poſſibilem modum deduci videmus (cum namque ſtricto jure uti non datur, quemque quo modo poteſt uti neceſſitas eſt) de teſtium numero, quo teſtamentis adeſſe debeant, ſtatuere non alienum a providentia nobis viſum eſt. Atque hoc quidem etiam ſempiternæ memoriæ patri noſtro in mentem venit: verum quod ſtatuit non valde id exacte ſtatutum eſſe judicatum eſt. Quum enim ſuperiorum legislatorum alius [1] ſeptem, alius [2] vero quinque aſſumendos eſſe teſtes cenſuiſſet, (ſeptem quidem in civitatibus, quippe ubi propter hominum multitudinem, ut conſentaneum eſt, teſtes defuturi non ſunt: in agris vero & itineribus, quinque, quod magna illic plerumque hominum fide dignorum raritas [3] ſit) cum hoc (inquam) ita de illis conſtitutum eſſet, pater noſter [4] exuperantem numerum deſpiciens, ſimul in civitatibus, ſimul in agris & itineribus per quinque teſtes teſtamentis vigorem attribuit: idque ideo (mea quidem ſententia) quod quanta nunc virtutis inopia humanam vitam occupet, conſiderarit. Attamen (id quod dictum eſt) non admodum exacta ratione placitum illud nititur. Dicat enim fortaſſe aliquis, æqualem numerum attribui non oportuiſſe, atque teſtimonium quod in agris & itineribus adhibetur, arctius contrahendum fuiſſe. Nos igitur quod ille neglexit, non negligendum putantes, ſancimus, *ut in civitatibus* quinque teſtibus ſtabilitum teſtamentum approbetur: in itineribus vero & agris, aliiſque inhabitatis locis trium teſtium confirmatio ſuſcipiatur.

CONSTIT. XLII.

UT[5] SUFFICIENS NUMERUS TESTIUM TESTAMENTUM RATUM FACIAT, TAMETSI[6] ID NEQUE ILLORUM SUBSCRIPTIONES NEQUE SIGNACULA HABEAT.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ in verbis reſidet obſcuritas, multum quod tractatur involvere videtur: quippe quæ tanquam expanſa quædam nubes, tum intelligendi vim animo auferat, tum a recta rerum adminiſtratione avertat. Hanc igitur obſcuritatis caliginem ubi illis conſtitutionibus quæ de teſtamentis agunt, neque mediocrem noxam rebus adferunt, circumfuſam eſſe cognovimus: pulchrum fore rati ſumus, ſi illas repurgaremus, quomodoque teſtamenta confirmari, aut non oporteat, lege non ambigua, neque quæ varie apprehendi poſſit, definiremus. Qui ante nos de teſtamentis tractarunt, bifariam illa diviſerunt, & alia quidem ſcriptis, alia vero ſine ſcriptis confici tradiderunt. Quin & modum quo utrumque teſtamentum, (& ſcriptum nempe, & non ſcriptum) ratum fiat, ſubjecerunt: ut ſcripta confirmatio in eo conſiſtat, quod vivente etiamnum teſtatore teſtium ſubſcriptione obſignationeque omnibus numeris abſolutum ſit: nuncupativi vero, ſive non ſcripti, quod ſeptem non indigni fide teſtes ſe audiviſſe, cum ita teſtator lingua ſua de rebus ſuis pronunciaret, confiteantur. Atque his hunc ad modum conſtitutis, annectunt ſcriptum teſtamentum, niſi [7] ad ſcripturæ, qua teſtatoris voluntas ſignificatur, perfectionem ſimul omnia conveniant, & teſtium ſubſcriptiones, nempe quæ illis de ſinceritate teſtimonio ſint, & ſignacula, quæ ſubſcriptionibus fidem præbeant: niſi hæc ſimul omnia (inquam) priusquam is cujus id teſtamentum eſt, e vita excedat, concurrant, omnino id irritum eſſe, ut neque tanquam ſcriptum, neque tanquam nuncupativum valeat. Ex quo ſane præoccupativo placito, quum non admodum caute (ne interim dicam male) conceptum ſit, confuſio atque ambiguitas rem teſtamentariam invadit. Aliis enim videtur teſtamentum velut adulterina ſemina, prorſus abjiciendum: ut aliis quidem ex bonis utilitatem capere permittatur, defunctis vero ne minimum quidem utilitatis ex rebus ſuis accedat: ſi tamen defuncti utilitatem aliquam ſentiunt. Sentiunt autem quum ex ipſorum morte per beneficii erogationem nonnulli reviviſcunt. Atque hi quidem (quomodo dixi) hunc in modum a rerum ſuarum utilitate hominem prorſus arcere volunt. Quibus vero benignior ſententia animo reſidet, hi teſtamento, quod ſigillorum impreſſione perfectionem non accepit, ſi non ut ſcriptum cenſeatur, certe tamen qualem non ſcriptum & nuncupativum accipit, talem vigorem tribuunt. Nos itaque perplexitatem hanc adeo rebus humanis eſſe nocumento videntes, in benigniorum judicum ſententiam pedibus imus, veteriſque legis caliginem & ambiguitatem in ſimplicem atque apertam cognitionem convertimus, ac ſancimus, *ut* [8] *quod teſtamentum*, reſpectu eorum quæ ſcripto teſtamento adeſſe debent, imperfectum eſt: ſi tamen nuncupativi teſtamenti teſtimonio non indigeat, vigore nuncupativi teſtamenti firmum ſit: ſin teſtium fide indigeat, ut quod nihil ad faciendam fidem idoneum habeat, in irritum concidat Quæ enim ratio eſt, imo quomodo non omnino abſurdum nimiſque craſſum eſt, alias teſtes iſtiusmodi approbatione dignari, ut quæ nulla ſui parte ſcripto mandata ſunt, confirment? alios vero quaſi qui per ſcripturam declarata confirment, indigni ſint, ita illos vilipendere, præſertim vero, cum hic aliquo etiam modo fides corroboretur. Quomodo inſuper id deteſtandam inverecundamque æquitatis proditionem non continet? Quid ſi teſtamentum ſcripto tradi cœperit, quodque conſtitutum eſt, dignorum fide teſtium auribus inſonuerit, deinde vero aut ſcribam morbus corripuerit, aut mors etiam ipſum ſuſtulerit, & mox teſtator quoque enectus ſit: (ut multa hominibus ex improviſo contingunt) num propterea quos is moriens beneficio dignos cenſuit, illi eo privati injuriam ſuſtinebunt? Et vero, quod indigniſſimum eſt, non modo non cum vita id mali teſtatorem deſerit, verum etiam mortuum inſectatur, privatque (quantum quidem ad eorum qui teſtamentum irritum faciunt ſententiam attinet) miſericordis Dei commiſeratione, cujus participem illum fore, ex eo quod ipſo defuncto alii beneficiis ſubleventur, ſpes eſt. Idcirco ſimulatque noſtra poteſtas hæc animadvertit, evidentem atque indubitatam formam ſanciit, *ut* [9] *ſi teſtes tantum* dicant illius hominis proprium id eſſe teſtamentum, id non improbetur, ſed firmum atque ratum ſit: tametſi non ſolum ſignacula, ſed etiam cum illis teſtium ſubſcriptiones deſint.

CONSTIT. XLIII.

UT PER SCRIBENDI IGNAROS[10] TESTAMENTA ETIAM CONFIRMENTUR[11].

Idem Imperator eidem Styliano.

NOn quod ſuperiores, quia communis vitæ negotiis diligentem cautionem attulerunt, reprehendere velimus, legem proferimus: ſed potius, ut exacta ipſorum ratio in uſum recipiatur, operam damus, reſque ipſæ (quod illas exacto ipſorum præſcripto reſpondere impoſſibile ſit) ne, quoad ejus fieri poteſt, debito ſuo ſtatu excidant, ſanctione cavemus. At quid eſt quod dico? Decretum eſt a veteribus de teſtamentis tractantibus, ut per [12] ſeptem teſtes, minimum autem per quinque defunctorum ſtatutis autoritas accedat. Neque vero id ſimpliciter, ſed ne [13] ignari literarum teſtes eſſent, ſi quidem in civitatibus, ubi non fere peritorum penuria eſt, teſtamenta facta ſint: ſed ſi aliis in locis in quibus literarum ſtudia diſciplinæque non admodum uſitatæ ſunt, illic teſtium non exacte haberetur ratio: neque illi ſoli qui ad literarum ſtudium educati ſunt, quærerentur, ſed ad teſtandum & literarum rudibus aditus eſſet. Quod itaque illis in locis, in quibus hominum ſcribendi peritorum abundantia non eſt, lex fieri ſtatuit, id conſuetudo omnibus ubique locis & civitatibus, quanquam magna doctorum hominum copia eſſet, ita facere volentibus conceſſit. Quod ſane & Imperatoriæ noſtræ Majeſtati legum autoritate dignandum eſſe placuit. Sancimus igitur, *ut quocunque* in loco & civitate, etiam [14] ab imperitis teſtamenta confirmentur, dummodo mores teſtium fidem mereantur. Quin & numerum non ſolum ad quinque contrahimus, ſed iis in locis in quibus raros fide dignos prodire conſtat, tres [15] quoque admitti, ac teſtimonium illorum non reprobari volumus.

CONSTIT.[16] XLIV.

*A QUIBUS[17] OBSIGNARI TESTAMENTA OPORTEAT.

Idem Imperator eidem Styliano.

CUm omnes alii hominum actus ac negotia quæ in literas referuntur, neceſſario exquiſitum teſtimonii ſubſidium requirant: tum maxime id faciunt, quæ homines natura ſua ad interitum vergente, diſceſſuque e carne imminente litteris exponunt, his in ipſo e vita exceſſu rationes ſuas & voluntatem committentes. Quæ enim inter vivos conſcripta ſunt, quanquam obſignata ſint, nihilominus tamen illorum vitia ex verborum ejus qui ſcripſit, eorumque de quibus ſcriptum confectum eſt, examinatione deprehenduntur. Quæ vero a morientibus ſcripto conſtituuntur, ea ſe minus recte habere, ſi nullum certum teſtium ſuffragium adſit, impoſſibile diſcere eſt. Verum enimvero & hic tractatus longe optime a legislatore conſcriptus eſt, dum ſæpe teſtamentorum teſtes ad jusjurandum adigi nolens, illis cenſus [18] magiſtri qui nunc generalis [19] appellatur, ſigillo parari firmitatem jubet. Etenim quod tanquam levem promptumque ad jurandum aditum non præbet, inſignique ſigillo ambiguis teſtamentis vigorem tribuendo, ut juramenta reprimerentur, fecit: ea ſane res & prudentiſſimi conſilii, & præſtantiſſima eſt. Atque hoc quidem obtinuit olim. Poſtmodum autem conſuetudo id mutavit, ut ſupra teſtes ejus qui ad quæſtoris dignitatem perveniſſet, ſigillum teſtamento teſtimonium ferret. Et quidem illa etiam confirmatio majoribus noſtris optima viſa eſt. Quos & nos ſequentes, quo illa validior ſit, jubemus, *ut* [20] *ſigillo* magiſtri cenſus (quod nunc ad illum neque legum cura, neque adminiſtratio pertineat) nihil prorſus in obſignatione teſtamentorum juris nec commercii ſit (quemadmodum neque nunc id illa obſignat) ſed pro [21] illo quæſtoris ſigillum obſignet. Neque vero hoc ſolum

1 Juſtinianus ſcilicet *l. ult. Cod. de teſtam.* 2 Jus vetus intelligit, de quo vid. §. 1. §. 2. §. 3. *Inſt. de teſtam.* 3 *l. ult. C. de teſtam.* 4 Baſilius Macedo.
5 Epitome exſtat apud 5. *Harm.* 1. §. 11. 6 Hoc vult: firmum ratumque teſtamentum eſſe, ſi teſtes una voce duntaxat pronunciaverint, id teſtamentum eſſe: nec amplius quidquam exigi: valere denique, licet ſignacula non ei adpoſita, licet etiam teſtium ſubſcriptiones cum ſignaculis deſiderentur: & breviter in teſtamentis ſubſcriptiones & ſignacula teſtium non requiri: quod olim requirebatur, & ita hæc conſtitutio abrogat §. 3. *Inſt. de teſtam. ordinand. & ſimiles.* 7 *d.* §. 3. 8 Senſus eſt a Leone nihil hic eorum immutari, quæ vel de ſcripto, vel nuncupativo teſtamento cauta ſunt. 9 Et ita jus vetus abrogatur, quo ſubſcriptiones teſtium eorumque ſignacula requirebantur.
10 Olim conſtitutum, ut literati teſtes pro illiteratis ſubſcriptionem interponerent, *l. ult. verſ. ſi vero unus, aut duo vel plures fuerint literati. Cod. de teſtam.* quod hac Nov. remittitur. 11 Titulus ita formatus eſt apud Græcos, περὶ τοῦ κυροῦσθαι διὰ ἰσογράφων τὰς διαθήκας, καὶ περὶ τοῦ εἰ καὶ τρεῖς τυγχάνοιεν μάρτυρες. *Scrimg.* 12 §. 2. *Inſt. de teſtam. ordin.* 13 *d. verſ. ſi vero.* 14 Abrogatur *d. verſ. ſi vero.* 15 *Novell.* 41. ʒ. 5. Harmen. 1. §. 11.
16 Hujus conſtitutionis meminit *Harm.* 5. *tit.* 1. §. 12. ait enim Novella Leonis conſtitutum, ut teſtamenta a magiſtratu non ſignata valeant, etſi teſtium ſubſcriptionem non habeant. Puto tamen locum illum Harmenopuli pertinere ad Novellam 42. *ſupr. eod.* 17 Olim magiſtro cenſus, *l.* 23. *C. de teſtam.* hodie a Quæſtore: & ita pars *d. l.* 23. *abrogatur.* 18 *Nov.* 44. *c.* 1. §. 4. *l.* 17. §. 2. *Cod. de ſacr. eccl. l.* 23. *C. de teſtam.* 19 Ὃς νῦν τοῦ γενικοῦ προσηγορίαν ἀποφέρεται. 20 Harm. *d. l.* 21 Apud magiſtrum cenſus inſinuari teſtamenta moris erat *d. l.* 23. hodie a Quæſtore & aliis Magiſtratibus hic enumeratis.

teſta-